



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Amuletum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

tempram  
quercum.  
Hec omnia  
à Plin. libr.  
16. c. 4.  
Tum quod  
deus apud  
Græcos u-  
niverſim  
quancumq;  
arborem  
glandife-  
ram ſigni-  
ficat.

ligna primo fuit. Rationem Festus tradit, quod frondem præ se perennem ferat: postea vero me-  
gis placuit ex esculo Jovi sacra, ubique custodito honore glandis. ut Plinius auctor est. Nota sunt  
quæ & quanta tribui solita sunt iis qui civicam meruissent. Ea quippe uti licebat perpetuo in ludis.  
Induenti assurgi etiam à Senatu moris erat, Senatuq; proximus erat locus assignatus, Vacatio mu-  
nerum ipsi, patrique & avo paterno dabatur, quod filium adeo publicæ rei utilem genuissent. Ne ve-  
ro temere daretur, arctiores additæ sunt leges, ut quippe civis qui servatus esset, servatam se esse si-  
teretur, aliter testes in eo negotio nihil proderant, neque si quempiam alium quàm Romanum ci-  
vem servasset, quantumvis Regem. Ciceronem civica ad donandum L. Gellius censuit, quod ejus  
opera esset atrocissima Catilinæ conjuratio detecta, vindicataque, atque ita non civis unus, sed uni-  
versa Romana civitas servata, meritoque ut ait ille:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

AMULETUM. CAP. II.

**H**Ecate quoq; quercu coronari solita est, in cuius manum hasta imponebatur, & homeros multis  
Draconum spiris implicabatur. Hujusmodiq; Deæ simulacrum ante januam dedicari solitum  
Æschylus tradit, ibique incantationum amuletum habebatur.

VIRTUS. CAP. III.

Clava Her-  
culeæ.

**H**erculeam vero clavam illam valido plurimum de robore fieri solitam, virtutis simulacrum esse,  
Optimi quique auctores tradunt. Tum etiam numus Gordiani Pii declarat, in quo Hercu-  
les nudus cum clava spectatur, cum inscriptione, VIRTUS AUGUSTI. Nerva autem Trajano ex S. C.  
quod in numis apparet, decretum est Leonis caput clava super erecta, cum inscriptione uni illi ma-  
xime attributa, quæ est, OPTIMO PRINCIPI. Nec præteribo Commodi vanitatem, in cuius numo  
vidimus ingentem clavam cum inscriptione, HERCULI ROMANO AUG. S. C. & ad hæc coronam  
civicam circumductam. In aliis ad adulationem hujusmodi cufis, Hercules est facie ad ipsius Com-  
modi similitudinem informata, cum spolio & clava in læva, dextera coronam trophæo superimpon-  
ens: literæ, HERCULI ROMANO AUG. Accepit enim is statuas Herculis habitu, eique immolatum  
est ut Deo. Harum unam adhuc integram cum clava & Hyla, Julius II. restituit pro foribus aulae  
superioris palatii Pontificii, ubi nunc porticus Leoniana. Sedenim Leo X. statuam amoveri iussit,  
neglectamq; in angulum rejici. Neque vero clavam Herculi semper ex Robore fuisse perhibent:  
verum & ex Oleastro, cujusmodi ea fuit quam Mercurio πελαγίω dicavit, quam iterum pullulante  
fama est. Nam Træzenii Oleastrum ex ea clava natum ostentare olim consueverunt. Pisander & ahe-  
neam Herculi clavam fuisse dicit.

FORTITUDO. CAP. IV.

Sumitur  
etiam per  
translacio-  
nem pro a-  
nimi forti-  
tudine, ne-  
dum corpo-  
ris.

**A**m vero fortitudinem validasque vires Quercum significare mos est multorum, sive nomen  
ipsum sequantur, quæ roboris elogio censetur; viribus enim præstantes viri, ut Festus ait, robusti à  
robore nuncupantur: robur vero à robo colore rufo, quod ea materia plurimas ejus coloris venas  
habet, sive instam illi vim admirarentur, quo incorrupta materies, & ad ædium perennitatem facere,  
magnis inde acceptis utilitatibus, comperiat.

DIUTURNITAS. CAP. V.

Sueton. in  
Galba c. 4.

**A**dem autem de causa diuturnitatem etiam significat Quercus, quod ejusmodi sit ejus vis, ut in  
seros usq; annos prorogetur, præcipue cum vel defossa, vel aquis macerata per tempus aliquod  
fuerit. Quare augures non injuria avo Galbæ fulgur procuranti, cum extra de maribus Aquila rap-  
puiſſet, & in frugiferam Quercum contulisset, summum, sed serum imperium portendi familiæ re-  
sponderunt: quod eventus mox comprobavit.

IMPERIUM FIRMUM. CAP. VI.

Quin Rhea  
ara frondib.  
quercu co-  
ronabatur.

**I**mperii firmitatem per sceptrum ex querno trunco significatum invenio. Sceptrum autem cum fo-  
lius quernis in columna quadam ex alabaſtrite Viterbii spectare licet, inferioribus quippe ramis  
ampu-